



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Epistolae Liberii Papae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

An Ariani
baptizant
catholicos
ad se defi-
cientes.

⁹ *Consentit Constantio heretico, non tamen rebaptizatus est.*] Hoc videtur indicare, quod etsi Liberius cum Arianis communicauerit, non tamen factus fuerit Arianus per secundum baptismum, quo solerent illi catholicos ad se deficientes iterum baptizare. Sed hæc quidem superflua, & ab aliquo addita; nondum enim Ariani rebaptizabant: quin & ecclesia hoc tempore non respuebat Arianorum baptismum, vt testatur S. Hieronymus aduersus Luciferianos. Baronius anno 357. num. 41.

Cum hære-
ticis ne qui-
dem in bal-
neo est cõ-
munican-
dum.

^r *Persecutio magna fuit in vrbe Roma, &c.*] Illi qui Liberio non communicabant, non tantum ab ecclesia, sed etiam a balneis publicis abstinebant; ne scilicet vna cum illis lauarentur, vt qui scirent ex sententia Ioannis euangelistæ, neque balnei lotionem cum hæreticis participandum esse: atque ideo in hos a magistratu sæuitum est. Baron. anno 357. num. 58.

·EPISTOLÆ LIBERII PAPÆ·

NOTA.

Duæ episto-
læ Liberii
commenti-
tiz.

^a *Epistola.*] Epistolas Liberii, quas aliunde in hanc editionem transferri curauimus, eo ordine, quo scriptæ fuerunt, collocauimus. Duæ sub nomine Liberii extant in fragmentis Hilarii, quibus Athanasium a Liberio principio pontificatus illius damnatum fuisse asseritur. Harum vna ad orientales episcopos: altera, ad Ursacium, Valentem & Geminium scripta fuit. Quæ cum falsæ sint & ab Arianis excogitatae eo fine, vt scilicet expurgationem Liberii, qua dicebatur vi ad condemnandum Athanasium inductus fuisse, exquisitis hisce mendaciis refellerent, eas inter Liberii hic excusas putauimus non esse referendas. Ne quis tamen eas desiderare possit, referam vtramque infra in notis germanæ epistolæ ad orientales scriptæ. Ad Fortunatianum Aquileiæ episcopum adhuc in fidei catholicæ professione stantem, ante lapsum eius, qui contigit anno Christi 354. Liberius epistolam scripsit: *ad fratrem & coepiscopum nostrum Fortunatianum, inquit in epist. 3. ad Eusebium, quem sciebam neque personas hominum vereri, & futura magis premia cogitare, literas erogavi, &c.* Verum iniuria temporis deperditæ desiderantur. Illæ etiam, quarum infra mentionem faciemus in notis Concilii Illyrici & Tyanensis, quas vna cum pacificis & communicatoriis ad orientales infra extantibus dedit legatorum primario Eustathio Sebasteno, quibusve auctoritate apostolica præcipit, Eustathium & reliquos sedibus suis exspoliatos, post habitam fidei catholicæ professionem, suis ecclesiis restitui, non extant. S. Basilius epist. 74. ait, Eustathium Sebastianum hisce Liberii literis in Tyanensi Concilio ostensis, confestim suam ecclesiam recepisse. Aliarum quædam tantum fragmenta reperiuntur, vt infra dicemus.

Liberii ad
Fortunatia-
num episto-
la, cum qui-
busdam aliis
non extat.